

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Christophori Cellarii Compendium Antiquitatum
Romanorum**

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1774

VD18 10161015

Appendix Quarta. De Nuptiis, Susceptione, Educatione Liberorum, Atque
Adoptionibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17085

Christi temporibus. Adparet clare ex IOANNE *cap. XIII.* scribente, *recubuisse se in sinu Iesu*, & LUCÆ *cap. VII.* de muliere peccatrice, quæ stans a tergo lauit pedes Christi, & eiusdem *cap. XXII, 18.* *cœnaculum stratum* nominatur, quod de lectis capiendum. Docent & verba ipsa, quibus in re coniuiali perpetuo vtuntur euangelistæ, τὸ ἀνακειῖσθαι, καὶ τὸ ἀνακλίνειν.

ADPENDIX QUARTA.

DE NVPTIIS, SVSCEPTIONE,
EDVCATIONE LIBERORVM,
ATQVE ADOPTIONIBVS.

§. I.

QUAMVIS multi apud Romanos essent, qui vitam cœlibem omnium iucundissimam ac viro graui maxime dignam esse, existimarent; plurimi tamen rite cognouerunt, eam statui ciuili maxime noxiam esse, atque effecerunt, vt, singularibus hanc in rem sancitis legibus, haud spernenda iis proponerentur præmia, qui multos procrearent liberos, eo potissimum fine, vt orbitas plane ex Romanorum exterminaretur finibus, quemadmodum huius rei leges iulia & papia poppæa, ab HEINECCIO egregie illustratæ, insigne præbent documentum: conf. PHIL. LVD. HANNEKENIUM *de cura domestic. Roman. p. 91.* Inde honorificum existimabatur, maritum esse, & multis liberis augeri, matrimoniumque contrahere, vt ex CICERONE *de fin. lib. V. cap. 28.* & *lib. III. de leg. cap. 3.* satis patet. Ante ipsas nuptias *sponsalia* celebrabantur, quæ

quæ erant mutua conuentio inter futurum maritum atque eum, in cuius potestate sponsa adhuc fuerat, qua de re BARNAB. BRISSONIVM de vet. rit. connubior. ANT. HOTTOMANNVM de vet. nuptiar. ritu & FRANC. HOTTOMANNVM de sponsal. & ritu nuptiar. consulas.

§. II.

In ipso matrimonio contrahendo ratio habebatur nationis, conditionis, gentis & sanguinis. Supra enim iam obseruatum est, ciuem Romanum cum sponsa ciuitatis romanæ experte, ingenuum cum libertina, patricium cum plebeja, matrimonium inire non potuisse, quod & versa vice mulieribus non permittebatur, si ciuitate Romana præditæ, ingenuæ & patriciæ, mariti vero libertini, plebei & ciuitatis iuribus destituti erant. Conf. CAROL. SIGONIVS de antiqu. iur. ciu. Rom. p. 119. PHIL. LVD. HANNEKENIVS de cur. domest. Rom. p. 7. & HEINECCIUS synt. ant. Rom. iurispr. illustr. p. 154. De gradibus cognationis apud Romanos prohibitis exponit THOMASIVS de vsu pract. inst. de nupt. p. 48. 49. In sponsalibus sponsæ a sponso arrhæ dabantur, & imprimis annulus pronubus, de quo IO. KIRCHMANNVS de annulis cap. XVIII. p. 181. consulendus est. Præterea dos certa sponsæ addicebatur, & in codicillis matrimonialibus obsignabatur, qua de re HENR. LINDENBROGIUS ad leg. antiqu. p. 1391. videatur, ubi obseruat, dotem a sponso, non autem a sponsa datam fuisse: adde CLAVD. SALMASIVM de mod. vsurar. cap. IV. p. 138. PERIZONIVM triad. diff. p. 113. & THOM. DEMPSTERYM not. ad Rosin.

lib. V. cap. 37. Sponsalibus rite peractis, diem certum nuptiis celebrandis constituebant, qua in re haud leuem prodiderunt superstitionem. Certi enim dies apud ipsos mala omnia nubentibus inferre credebantur, quemadmodum omnes calendæ, nonæ, idus, mensis maius, parentalia & saliorum festum fuerunt.

§. III.

Matrimonium ipsum apud Romanos triplici contrahebatur modo: 1) *confarreatione*, quum certis adhibitis verbis, testibusque decem præsentibus, sollempnique sacrificio, mulier in manum viri conveniebat: 2) *coemptione*, cuius ritum describit NONIVS *de propriet. sermon. XII. 50.* quamvis non desint, qui confarreationem & coemptionem pro vno eodemque ritu habeant: 3) *usu*, quando maritus sine confarreationis & coemptionis ritu uxorem per integrum anni spatium usufrucipiebat. Exponit hoc argumentum copiose HEINECCIUS *libro indicato p. 143. seq.* cui HOTTOMANNVS, *de vet. rit. nuptiar. cap. XX.* CAROL. SIGONIUS *de ant. iur. civ. Rom. lib. I. cap. 9.* IVST. LIPSIVS *not. ad Tacit. lib. V. annal. cap. 16.* ac plures alii adiungendi sunt.

§. IV.

Ex confarreationis & coemptionis ritu oriebatur 1) *sacrorum communio*. In ipsis enim veterum ædibus penates, cuiuscumque familiæ proprii, colebantur, atque per id efficiebatur, ut vxor & maritus communibus fruerentur sacris. 2) *Susceptio liberorum patrimonum & matrimonum*, quorum magnum erat in sacris priuilegium. 3) *Liberatio a*

patria potestate. Vxor enim per confarreationem fiebat materfamilias, ex patris potestate in mariti potestatem transibat, & filiae loco habebatur, adeoque & eius heres erat. 4) *Possessio bonorum.* Maritus enim bona omnia vxoris nomine dotis accipiebat. 5) *Arctissimum coniugii vinculum.* Connubium enim tale, per confarreationem factum, non nisi diffarreatione, id est, per sacrificia, adhibitis procul dubio pontificibus, dissolui potuit. Tempore tamen imperatorum, ob certa incommoda, quæ inde emergebant, confarreatio hæc obsoleuit: conf.

HOTOMANNVS *de vet. ritu nuptiarum cap. XX.*
 CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 9.* LAUR. BEGERVS *contemplat. gemmarum quarumd. dactylioth. Gorlæi p. 28.* 10. GOTTL. HEINECCIUM *libr. laudato p. 144.*

§. V.

Die ipso nuptiarum, captis rite auspiciis, sponsæ coma cuspide dirimi; ipsa vero laneo cingulo, a sponso in nuptiali lecto soluendo, corona tunicaque recta ornari & flammæ obtegi solebat. Tum e gremio matris, vel proximæ cognatæ, in memoriam raptarum virginum Sabinarum, abripiebatur, atque missis ad deum Doniducum precibus, in mariti domum, lauro obsitam & floribus ornatam, a tribus paranympis ducebatur, quorum primus facem præferebat; quamvis alii plures prælatas fuisse statuunt, quum sub ineuntem noctem per ordinem Romanorum nuptiæ celebrarentur; reliqui autem duo ad latus eius ibant, ancillis comitibus, quæ cum colo, fuso & stamine sponsam sequebantur. Pompam hanc amici & cognati cum donis ornare

ornare solebant. Videantur: PLVTARCHVS *vit. Romul.* p. 26. OVIDIVS *lib. II. fastor.* v. 560. CATVLLVS *carm.* 61. & 62. APVLEIVS *metam. lib. IV.* p. 154. LVCANVS *lib. II. pharsal.* v. 359. IYVENALIS *fat. VI.* v. 224. AVGVSTINVS *de ciuit. Dei lib. XII. cap. 13. lib. XIV. cap. 18.* PLINIVS *hist. natural. lib. VIII. cap. 48.* & CLAVDIANVS *de nupt. honor. & Mar.* v. 286. quibus BURMANNVM *ad Petron.* p. 87. addas. De coronis nuptialibus singularem scripsit librum MADERVS, cui RITTERSHVSIVS *lib. II. sacrar. lection. cap. 9.* adiungendus est. De Paranympis HVGGO GROTIVS *not. ad Matth. IX, 15.* euoluatur. Plura de his memoratis ritibus suppeditat HANNEKENIVS *libro memorato,* p. 19. seq.

§. VI.

Sponsa, ad mariti sui domum perducta, non ipsa eam ingrediebatur, sed a paranympis super limen ferebatur, postquam prius ædium postes laneis vittis ornaauerat & adipe lupino vel suillo vnixerat. Lege PLVTARCHVM *vit. Romul.* p. 26. *quest. Rom.* XXIX. LVCANVM *lib. II. v. 352.* PLINIVM *lib. XXVIII. hist. natur. cap. 9.* & SERVIUM *not. ad Virgil. lib. IV. Aeneid. v. 458.* & HANNEKENIVM *de cura domestic. p. 23.*

§. VII.

His peractis, nouæ sponsæ clauēs tradebantur, simulque ei cura domestica committebatur. Adportari quoque solebat aqua & ignis, ad significandum, omnia ex humore & calore gigni. Lotis nubentium pedibus, cœna nuptialis parabatur, atque amici & cognati conuiuio excipiebantur, præsentibus

bus

bus quoque tibicinibus ac pueris; illis, ut tibiis canerent; his vero, ut carmina quædam obscæna, *fescennina* dicta, recitarent. Conuiuæ *Talafum*, qui Græcorum *Hymenæus* est, inuocabant; nubentes vero nuces inter pueros spargebant. Testes habemus CICERONEM *orat. Philipp. II. cap. 28.* OVIDIUM *fastor. lib. IV. v. 792.* LIVIUM *lib. I. cap. 9.* CATVLLUM *carm. LXII.* SERVIUM *ad Virgil. lib. I. v. 655. & lib. IV. v. 167.* IUVENALEM *sat. VI. v. 209.* aliosque; ex recentioribus autem IANVM GVILLIELMIVM *lib. II. verisimil. cap. 19.* BARN. BRISSONIVM *de formul. lib. VIII. p. 719.* STVCKIVM *lib. I. antiquit. conuiual. cap. 24.* GABR. MARQVARDVM *diss. de cæna nuptiali,* & IO. CHRIST. BVSMANNVM *diatrib. de carminib. nuptialib. Helmst. MDCCX.*

§. VIII.

Finito conuiuio, nupta a pronuba in lecto geniali, floribus ornato, collocabatur. Amici abeuntes *apophoreta*, siue munuscula accipiebant. *Repotia*, siue epulæ postridie apud nouum maritum instituebantur, quibus amici conuiuium, viliores vero & pauperes *sportulam* nanciscebantur. Noua nupta tum a cognatis munera accipiebat; ipsa vero postea curam domesticam in se suscipere & sub eius auspiciis in domo viri sacra facere solebat. Confulas IUVENALEM *sat. VI. v. 203.* HORATIVUM *lib. II. serm. II. v. 60.* & MACROBIUM *lib. I. saturn. cap. 15.*

§. IX.

Sponsalia *repudio*; matrimonia vero *diuortio* dissoluebantur. Lege Romuli diuortium viris tantum, non autem mulieribus permissum fuit, quando ni-

mirum

mirum vxor veneficium circa prolem adhibuerat, liberos alienos supposuerat, adulterium commiserat, & viro infcio, vino vsa fuerat. Dos in hoc diuortio, si vxor caussa ipsius erat diuortii, marito reddebatur, tabulæ sponfalitiæ frangebantur, vxori que claues adimebantur: lege HANNEKENIVM *de cura domestic. Rom. p. 33.* HOTOMANNVM *de ritu nuptiar. cap. I.* HENR. BROWERVM *de iure connubior. lib. II. cap. 31.* & SAM. PITISCVM *not. ad Sueton. vit. Caf. I.* Neminem ante DXX. vrbis annum diuortium Romæ fecisse, auctor est DIONYSIVS *Halicarnasseus lib. II. p. 96.* cui CAROL. SIGONIVS *de ant. iur. ciu. Rom. lib. I. cap. 9.* addendus est. Postea Romanos crebrius vxores suas dimisisse, testes sunt IUVVENALIS *sat. VI. v. 20.* & MARTIALIS *lib. VI. epigr. 7.* Formulas diuortii apud Romanos tradit BARN. BRISSONIVS *lib. VIII. de formul. p. 722.* De secundis nuptiis quid statuerint veteres Romani pariter ac Græci, exponunt: 10. GERHARDVS *locis theolog. tom. VII. p. 204.* MATTH. BERNEGGERVS *question. CX. ad Tacitum,* CAMPEG. VITRINGA *de synagog. veter. lib. III. part. I. cap. 4. p. 662.* HVGGO GROTIVS *tom. II. operum theolog. p. 354.* 10. BEVEROVICIVS *question. epistol. p. 14.* & HANNEKENIVS *loc. indicat. p. 34.* Polygamia apud veteres Romanos prohibita fuit, & Antonius primus ex Romanis exstitit, qui duas duceret vxores. Quamuis postea Valentinianus iunior lege sanxisset, vt liceret cuiuis viro, duas vxores ducere; ea tamen apud posteros haud valuit: conf. HEINECCIUS *libr. memorato p. 155.*

§. X.

De nuptiis veterum Romanorum fusius edisseruerunt: BARN. BRISSONIVS *de vet. rit. nuptiarum*, tom. VIII. thes. ant. Rom. Grauii p. 1907. ANT. HOTOMANNVS *de veteri nuptiarum ritu*: FRANC. HOTOMANNVS *de sponsalibus & ritu nuptiarum & matrimoniorum*: IO. BAPT. CASALIVS *de ritu nuptiarum ac de iure connubiali veterum*: PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cura domestic. Romanor. diss. I. cap. 1. & 2.* aliique plures.

§. XI.

Antiquitates puerperii THOM. BARTHOLINVS persequutus est, cuius *antiquitates puerperii veterum* commentario ornauit CASP. BARTHOLINVS, THOMÆ filius, & IO. MEVRSIVS *syn- tagm. de puerperio veterum*, tom. VIII. thes. ant. Græc. Gronouii, p. 1417. Liberi ipsi, a parentibus procreati, ubi ex iustis nuptiis geniti erant, *legitimi* dicebantur; reliqui vero omnes *illegitimi* appellati sunt, quorum quatuor diuersa exstiterunt genera. Alii erant *naturales*, ex concubina, vel vidua, aut virgine stuprata nati; alii *spurii*, ex meretrice; alii *adulterini*, ex adultera; alii denique *incestuosi*, ex incestuosis amplexibus geniti. Omnes isti non infames quidem habebantur, a vulgo tamen ipsis quædam leuis notæ macula imposita est, præsertim adulterinis atque incestuosis: conf. IO. GOTTL. HEINECCIUS *syn- tagm. ant. Rom. iurispr. illustr.* p. 157.

§. XII.

Romani antiquissimis temporibus immanes nonnumquam fuerunt, & recens natos liberos suos exposuerunt, vt ab aliis susciperentur, quæ mala consuetudo

fuetudo & apud Græcos recepta fuit, exceptis Thebanis, apud quos eâ legibus verita fuerat. A Græcis ad Romanos inhumana hæc agendi ratio tranſiit, qui ſtatim, ac in lucem editus erat infans, & in terra collocatus, eum vel de iſta leuabant, vel extra ædes portandum curabant, vt ad ripam aut litus in vaſculo, de papyro factò, & bitumine illinito, deferretur. Quamuis hæc conſuetudo, quo manſuetiores in dies reddebantur Romani, magis magisque coerceretur; ea tamen haud penitus & ſub primis imperatoribus extirpari potuit. Inter eos, qui expoſitionem hanc publice abrogarunt, Valentinianus, Valens & Gratianus fuerunt. Vide *leg. II. cod. de infant. expoſit.* & adde GER. NOODTIVM in IVLIO PAVLLO *cap. I. ſeq.* BARTHOLINVM de puerperio, p. 85. IAC. OIZELIVM *not. ad Minuc. Felic.* p. 306. & CORNEL. BYNCKERSHOECKIVM de iure occidendi, vendendi & exponendi liberos. Eundem fere morem veteres in expoſitione ægrotorum obſeruarunt, de qua præter ceteros expoſuit CAROL. FRID. HVNDERTMARKIVS *difſert. de incrementis artis medicæ per ægrotorum apud veteres in vias publicas & templa expoſitionem,* Lipſiæ MDCCXXXVIII.

§. XIII.

Expoſitio infantum quemadmodum a pauperibus ac iis fiebat, qui omnem humanitatem ac naturalem erga liberos amorem depoſuerant; ita cultiores ſummam curam ad id adhibuerunt, vt liberos ſuos ſumma cura educarent: nec ſolum præceptoribus, qui prima litterarum elementa, nimirum artem ſcribendi, legendi & calculandi, ipſis

tra-

tradebant, sed etiam pædagogis committerent, antequam extra limen ad ludos litterarios ac scholas publicas mittebantur, de quo argumento iam supra commentatus sum. Præter litterarum studia, etiam varia corporis exercitia habuerunt, de quibus HANNEKENIVS *de cura domestic. Rom.* p. 113. exponit. De patria in liberos potestate iam supra dixi.

§. XIV.

Quoniam quælibet Romana familia singularia ac priuata habuit sacra; ea vero sine relictis liberis interibant, ii, qui ex iustis vxoribus liberos haud nacti fuerant, extraneos adoptarunt, idque eo magis, quum iis, qui liberis præditi erant, varia eximia præmia constituta essent. Adoptiones duplicis erant generis: *adoptiones* videlicet, strictiori sententia sic adpellatæ, & *adrogationes*. Per *adrogationes* homines proprii sui iuris, per *adoptiones* vero liberi alieni in alterius potestatem, gentem, nomen & sacra transibant. Adrogationes in comitiis curiatis pontificum auctoritate fiebant, cuius rei causas HEINECCIUS *synt. ant. Rom. iurispr. illustr.* p. 165. aperit. Pontifices dispiciebant, quamnam ætatem adoptans & adoptatus habeat: quæ causa sit adoptionis, numque adoptio, vel adrogatio in salutem adoptati fieret, nec ne? Postquam vterque, & adrogatus, & adrogans, mutuum suum consensum declarauerat, sollemnis rogatio in comitiis curiatis sequebatur, cuius formulam A. GELLIUS *lib. V. noct. Attic. cap. 19.* exhibet.

§. XV.

Ipsi adoptati eodem loco habebantur, ac si proprii adoptantis essent filii, hincque adoptionem he-

Cellar. Antiquit.

Pp

redi-

reditas nominis, pecuniæ ac sacrorum sequebatur. Immo patricii, a plebeio adoptati, ad ordinem plebeium; plebeii vero, a patricio adoptati, ad patricium transibant ordinem: conf. IOH. GOTTL. HEINECCIUS *comm. ad leg. pap.* p. 113. De adrogatione obseruandum præterea est: solos ciues Romanos, ut comitorum participes, adrogasse; eam non ad cælibes, sed solum ad orbos spectasse, ac quidem tales orbos, qui non amplius prolem expectare poterant; inde senibus tantum, sexaginta ad minimum annorum, adrogationem concessam fuisse; nec mutos & furdos, nec feminas, quoniam comitorum iure destituebantur, adrogari potuisse; pupillos etiam non adrogatos esse, quum ipsi actores non fieri possent; omnemque adrogationem propter comitia curiata Romæ fieri debuisse: conf. HEINECCIUS *synt. ant. Rom. iurisprud. illustr.* p. 171.

§. XVI.

A primo hoc adoptionis genere, quod *adrogatio* dicebatur, alterum differebat, strictiori sensu *adoptio* vocatum, quo liberi in sacris paternis constituti, cuiuscumque sextus & ætatis, in aliam familiam transibant. Adoptandi hic ritus consistebat in trina venditione, adhibito ære & libra, præsentibus coram magistratu patre naturali, filio adoptando & patre adoptante, libripende, antestato & testibus, ita, ut pater filium suum adoptanti manciparet, is filium adprehenderet, æs teneret, libram eo percuteret, id patri naturali pretii loco exhiberet, hancque mancipationem tribus vicibus repeteret. Species adoptionis quoque fuit, quando Romani heredes sibi adsciscebant, non in bona tantum, sed etiam in

in nomen suum; quoniam vero per hoc adoptionis genus alia familiæ iura haud sequebantur, sæpe fiebat, ut adoptionem, per testamentum factam, repererent, ac per æs & libram istam renouandam curarent: conf. BARNAB. BRISSONIVS *de formul. lib. VII.* p. 601. & HEINECCIUS *loco indicato* p. 176. De adrogationibus quoque sciendum est, eam post liberam rempublicam, comitiis cessantibus, per rescripta principum concessam ac confirmatam fuisse.

§. XVII.

De adoptione hac plura edisserunt, præter BRISSONIVM & HEINECCIUM: PAVLLVS MANVTIVS *de legibus cap. XIV.* IAC. PERIZONIVS *triad. dissert.* p. 83. HENR. DODWELLVS *prælect. Cambd.* p. 506. 551. THOMASIVS *diss. de usu pract. tit. instit. de adoptionibus*, & PHIL. LVD. HANNEKENIVS *de cur. domestic. Romanor.* p. 100.



APPENDIX QUINTA.

DE ÆDIFICIIS AC SVPEL-
LECTILI VETERVM ROMA-
NORVM.

§. I.

ÆDIFICIA vrbis Romæ vel publica, vel privata fuerunt. Publica vel sacris, vel ciuilibus negotiis erant destinata. Vti ad illorum classem varia ædium sacrarum genera, templa, delubra, sacella cet. pertinent; ita ad hæc curiæ, basilicæ, porticus, theatra, amphitheatra, thermæ, odea, circi, cloacæ, aliaque ædificia referebantur. De his